OCTAVIAE QUERELA.

CARMEN,

CUIUS AUCTORI

IOHANNI VAN LEEUWEN,

E VICO ZEGWAART,

CERTAMINIS POETICI PRAEMIUM SECUNDUM

E LEGATO

Jacobi Henrici Hoeufft

ADIUDICATUM EST

IN CONSESSU PUBLICO ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM

DIE IX M. MARTII ANNI CIↃIↃCCCLVII.

Amstelodami,
APUD C. G. VAN DER POST.
MDCCCLVII.

Olds

OCTAVIAE QUERELA.

OCTAVIAE QUERELA.

CARMEN,

CUIUS AUCTORI

IOHANNI VAN LEEUWEN,

E VICO ZEGWAART,

CERTAMINIS POETICI PRAEMIUM SECUNDUM

E LEGATO

Jacobi Henrici Hoeufft

ADIUDICATUM EST

IN CONSESSU PUBLICO ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM

DIE IX M. MARTII ANNI CIↃIↃCCCLVII.

Amstelodami,

APUD C. G. VAN DER POST.

MDCCCLVII.

Non alia exsul visentium oculos maiore misericordia affecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae. Sed illis robur aetatis affuerat; laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant. Huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre. Tum ancilla domina validior, et Poppaea nonnisi in perniciem uxoris nupta. Postremo crimen omni exitio gravius. Ac puella vicesimo aetatis anno, inter centuriones et milites, praesagio malorum iam vita exemta, nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur.

Taciti Annalium Lib. XIV, Cap. 63 *sq.*

TYPIS W. J. KRÖBER.

OCTAVIAE

QUERELA.

An Nero mitescit? me tuta carina ferebat?
  Miror! sic, coniux, non mihi notus eras.
Incolumis tetigi telluris littora iussae;
  Sed tamen haec mortis parva futura mora est.
Exsilio, dum vita mihi est concessa, fruamur:
  Est aliquid, solo posse dolere loco:
Est aliquid, comitem dare se tibi, tristis aëdon,
  Deflenti querulis aspera fata sonis.
Perge queri, Philomela, modus nec fletibus adsit:
  Conveniens animo est multa querela meo.
Perge queri, Philomela, modum sed pone dolori:
  Quicquid passa gemis, deteriora tuli.

Namque a principio series mea vita malorum,
  Ut cui contigerint stamina nigra, fuit.
Illa ego, cui nondum sunt bis duo lustra peracta,
  Casibus implevi saecula tota meis.
Esse hilarem quid sit, nullo cognovimus usu;
  Gaudia non memini, non sine nube dies:
Sed gladios, iras, terrores, funera, luctus,
  Multaque, dum memini, quae memorare pudet.
Natales mihi quinque ierant, cum murmur in aula
  Nescio quid visum est significare mali.
Dum fugere in matris paro brachia, mucro paventi
  Monstratur tinctus sanguine: matris erat.
Dixerunt sontem, sontem deflere vetabar:
  Sonte licet, durum matre carere fuit.
Postmodo cognovi graviter peccasse parentem,
  Nec culpam dolui, quam periisse, minus.
Mox viduum patris thalamum occupat altera coniux,
  Opprobrium nostrae perniciesque domûs.
Ut scelerata uxor, sic, non dubitanda Neronis
  Agrippina parens, dira noverca fuit.

Heu, quam saepe tibi, dilecte Britannice frater,
Indulgens odio, verbera saeva dedit.
Heu, quoties iuvenem iusto fraudavit honore
Caesareum, nato postposuitque suo.
Ast mihi falsa dabat cum mollibus oscula verbis,
Votis me cupiens conciliare suis.
Saepe tenens gremio, »nescis, Octavia, dixit,
Quam sis cara mihi, quae tibi dona parem."
Nunc scio, quae pretii tam rari dona beatam
Me factura essent: id Nero munus erat.
Atque mihi nondum ludis puerilibus apta
Tempora desierant, cum rata dicta facit.
Sic, sic ad positam vadit miserabilis aram,
Fati ignara sui, quae piet, agna, deos.
En, laetus populus me circumplaudit euntem,
Undique iactato flore tegente viam;
Per totam rutilae collucent lampades urbem,
Et cantatus Hymen sidera summa ferit.
Sed pariter taedam quatiebas, dira Megaera,
Tisiphoneque ululans est comitata chorum.

O laevis avibus iunctum lacrymabile foedus!
O tristes thalamos, quos fugiebat Amor!
Hoc tulerasne, pater? pietas haec debita natae?
Defensor miserae siccine prolis eras?
Ni patris indignus sit nomine, iura suorum
Cui dominae causa prodere vile fuit.
Ignoscende tamen genitor, tua facta luisti:
Durus eras nobis, durior ipse tibi.
Ne tanto obsequio posset non digna videri,
Utque animi grati pignora certa daret,
Agrippina virum Stygias demisit in oras,
Ad regnumque tibi sic, Nero, stravit iter.
Imbuerat caedes infamia sceptra futura
Caedibus: id verum scilicet omen erat.
Me, simul atque impune licet contemnere, Caesar
Queislibet indigne coepit habere modis.
Augustae titulo passim Dominaeque vocabar;
Errabat populus: serva Neronis eram.
At servisse parum est: servam mea iura tenentem
Vidi, legitimi participemque tori.

Haec et plura tuli, mea nec patientia victa est,
  Sospite te, frater, me mihi care magis;
Cuius in amplexu mihi tuto flere licebat,
  Quique meas lacrymas sistere doctus eras.
Oh quoties solans dixti: »speremus uterque!"
  Tam tua spes, frater, quam mea vana fuit.
Quid mihi mentis erat, cum te, dulcissime rerum,
  Qui solus fueras portus et ara mihi,
His oculis subito exanimem stratumque viderem,
  In mortem caeca te rapiente manu!
Illa per insidias fratris morientis inhaeret
  Pectoribus species, non abitura, meis.
Tale nihil metuens, iuvenis data pocula sumit:
  Ut bibit, ut pallor mortis in ora venit;
Labitur infelix, oculosque gravantibus atris
  Me quaerit tenebris, aspiciensque gemit.
Scires supremum vale dicere velle sorori, —
  Sed iam cum toto corpore lingua riget.
Et post tale scelus Caesar nec lumina flexit,
  Inceptisque epulis vix tulit esse moram!

Ast ego muta dolore fui, sed pectore in imo,
Barbare, devovi teque tuumque nefas.
Tunc odium quid sit coepi sentire vicissim,
Et quod sentibam dissimulare minus.
Scilicet horrendo studeam placuisse tyranno!
Carnifici fratris blandiar ipsa soror!
Nec Nero caede una mihi detestandus, et idem,
Pro casti Superi, quantus adulter erat!
Oh quot nequitiae effrenae dedit ille videnda
Monstra mihi, lingua non referenda mea:
Quamvis audit enim me nonnisi sylva loquentem,
Talia vel sylva promere teste pudet.
Sanguinis et quantum sceptris immitibus haeret!
Impia quam multa dextera caede madet!
Non est tanta tigri laniare lubido, Neronem
Quanta in Romuleae viscera gentis agit.
Nec tigris in proprium saevit genus: hac quoque, Caesar,
Dici parte potes tu superare feras,
Mactare ausus eam, cuius nec parva nec una,
Maxima culpa tamen te peperisse fuit.

Occidit Agrippina, nimis, pro! digna perire,
Sed non a nati digna perire manu.
Damnari meruit, sed non te iudice, Caesar,
Non nisi per matris crimina facte potens.
Et matrem, et se demeritam Nero sustulit: i nunc,
Talem non venerer cur ego, quaere, virum.
Saepe per opprobrium mihi »coniux frigida" dixit:
Verior illius vox, puto, nulla fuit.
Sive aspexit enim, fugiebat pectore sanguis,
Et causa algoris trux mihi vultus erat.
Seu tetigit, virus velut adspergente colubra,
Qua posuit dextram frigidus horror iit.
Hunc poteras optare adeo, Poppaea, maritum,
Hic tuus ut fieret nilque putare nefas?
Ah quoties dices, penitus tua cum bona noris:
Merces, en, tanto digna labore parum!
Sed fuerim quamvis impurum exosa tyrannum,
Devoto et pulsam me iuvet esse toro:
Non mihi sunt unquam violata iugalia sacra,
Et longe crimen, quod Nero fingit, abest.

Vix equidem (fateor), tali sociata marito,
  Turpe mihi culpae succubuisse putem:
Sed nec succubui, nec sic mea causa tuenda est:
  Integra sum vitae dissimilisque viro.
Vos habeo testes, nomen mihi dulce, Quirites,
  Post data tot curae tantaque signa mei.
Vosque, dei, testor: quamquam, mente esse pudica
  Criminis et puram cum nihil expediat,
Cumque orbi det iura deûm contemtor inultus,
  Nomina sollicitor vana putare deos.
Absit! stulta loquor demens: ignoscite divi!
  Tantis flagitiis non sua poena deëst.
Solus cur timet esse Nero? cur sponte tremiscit
  Saepe et utraque tegens exsilit ora manu?
Ipsius actorum nimirum terret imago
  Sanguinolenta: fugit se furiasque suas.
Ah quoties vidi somni simulacra paventem,
  Et tetigere aures talia verba meas:
»Vae mihi, quid vultis? furiosi, parcite, manes!
  Ante alios genitrix, tu quoque, frater, abi!"

En vindicta deûm. Coepisti iam dare poenam,
Improbe, qua brevior vita futura tua est.
Nulla quies tibi erit; quantoque es peior Oreste,
Peior Orestea semper Erinnys aget.
Viventi ante oculos tua plurima victima stabit,
Ultrix, me sociam mox habitura, cohors;
Exstinctoque, tuis meritis si poena sit aequa,
Non in supplicium Styx erit una satis.
Nec regnare diu tantumve senescere monstrum
Romani populi Numina laesa sinent.
Eventura cano. Tua te, Nero, crimina perdent,
Quaque cades, populo festa erit illa dies.
Iamque tuae metues, alienae prodige, vitae,
Et modo sis salvus, quidlibet esse voles.
Numina nunc posces: ridebunt illa vocantem;
Nunc homines: nemo, qui miserescat, erit.
Supplex ad cives, sed frustra, brachia tendes:
Flectat, qui flecti nescius ipse fuit!
Digna lues, et quam sit res abiecta tyrannus,
Conveniens vitae mors documenta dabit.

Ah, miseranda licet, sorti collata Neronis,
  Iudice me, dici sors mea laeta potest.
Est aliquid sibi mens nullius conscia culpae:
  Quae mala cunque feram, non meruisse, iuvat.
Est etiam hoc aliquid, semper vixisse dolentem:
  Sic didici damnum ducere vile mori.
Fallor? an huc video caedis properare ministros?
  Non fallunt oculi: turba cruenta, venis.
Ultima constanti nunc mente, Octavia, perfer:
  Sic es nempe malis eripienda novis.
En pectus, famuli: domino me dicite vestro,
  Quam tremet ipse brevi, non tremuisse necem.

TYPIS
W. J. KRÖBER.